Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



42) Ughellus Ital. sac. t. VI.

43) Jongelinus Notit. Abbat. Cisterc. l. 3: Fundavit hoc cœnobium anno 1262. Ludovicus Bavariæ Dux, Ludovici Imperatoris Pater, et hoc ob cædem primæ suæ conjugis Mariæ Brabantinæ, quam ob falsam adulterii suspicionem, Werdæ ad Danubium præcoci ira percitus, anno 1256 decollari fecerat. Unde ei impositum fuit per Alexandrum Pontificem, ut pro pœnitentia in sua provincia, et de propriis reditibus suis, Monasterium instituerat pro 12 Carthusianis. Cum autem nullum tale Monasterium in tota Bavaria esset, promisit simile pro fratribus ordinis S. Bernardi, seu Cistertiensibus in loco, qui Fürstenvell dicitur, ædificare: quod illi a Clemente Pont. permissum est: ita tamen, si non aliquo priori voto obligatus esset. Ita testatur diploma Conradi Frisingensis Episcopi de anno 1266. Hoc Diploma integrum exhibet Gewoldus in Addit. ad Hund. Metr. Salisb. t. II. (cujus exordium et finem excerpo: In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis Amen. Ludovicus Dei gratia Comes Palatinus Rheni Dux Bavariæ universis Christi fidelibus præsentibus et futuris, hanc paginam inspecturis in perpetuum. Quoniam labente tempore memoria plerumque labitur actionum, acta nostra memoria digna literarum munimine duximus confirmanda. Recognoscentes itaque, quod civitatem hic permanentem non habemus, sed futuram non manu factam, inquirimus æternaliter permansuram: amicos de bonis temporalibus et caducis, qui nos, cum defecerimus in tabernacula æterna recipiant, Favente Deo nobis facere cogitamus. Cum igitur pro remedio et salute nostrorum peccaminum ac progenitorum nostrorum ad honorem et reverentiam Jesu Christi eiusque gloriosæ genitricis semperque virginis Mariæ de prediis seu proprietatibus nostris etc.) Testes autem sunt Dominus Conradus venerabilis Episcopus Frisingen. Dominus Hartman. venerabilis Episcopus Augusten. Conradus dilectus avunculus noster (nepos ex sorore) secundus Hierusalem et Siciliæ Rex, Dux Sueviæ. Meinhardus Comes Goritiæ. Gebhardus Comes de Hirsperg. Albertus Prothonotarius noster. Præpositus de Illmünster. Eberhardus Vicedominus. Dietricus quondam vicedominus. Fridericus de Truchedingen, Albertus Lenzman, Albero de Pruchberg, Hadmair de Labar, Burckhart de Wilhaim, viri nobiles. Herman de Heginberg. Conradus de Haldenberg. Berchtoldus Marschalcus de Schiltberg. Ulricus filius eius. Arnolus de Messenhausen, Ulricus de Camerberg. Conradus de Camer, Winhart de Rorbach, Ulricus de Samerdorff, Gerunch de Arnpach, Wicknandus vicedominus, Berchtoldus notarius, fideles nostri) et alii quam plures viri providi et honesti. Datum Monaci Anno dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo M. CC. LXVI. Indictione IX. Mense Febr. VIII.

Andreas Presbyter in histor. fund. Monast. Bavar.

autem fundationis